

et assensu talem inter Nos et ipsum ordinavimus compositionem, ut ipse nullum de Nostris Jobagionibus de Veliho ad suum districtum in Crala recipiat, et Nos e converso nullum equidem de suis Jobagionibus de Crala ad Nostrum districtum de Veliho, auctoritate praesentis ordinationis recipere praesumimus. Quod si pars alterutra ordinationem istam aliquatenus in recipiendo alterius partis Jobagionem infringere praesumpserit, ex vi praesentis Statuti ipsum Jobagionem cum rebus ablatiis cum iudicio duplici adversae parti restituere teneatur. Datum in Bihig anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo primo.

Ex Transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

LXV.

Anno 1272. 10. Augusti. Budae.

Ladislaus, Hungariae et Croatiae Rex, civibus Spalatinis mandat, ut in signum fidelitatis suos extraneos iudices e civitate expellant et quatuor conspicuos viros negotia Regni Croatiae cum Rege ordinaturos mittant.

Ladislaus fidei suo Comiti ciu. Spalat. salutem et gratiam. Quia nobis semper fidelitatis opera exhibuistis, indefesse uos prosequimur Regio cum fauore. Sed quia propter uariarum guerrarum discrimina ad uos accedere nequimus vsque modo, Intelliximus, quod uos Iudices extraneos de alijs Regnis accipere consueuistis, quod non est fidelitatis indicium; ciues etiam nostros Tragurienses non modicum discrimini perturbare; quosdam etiam nobis fideles de uestra Communitate expulistis. Quare fidelitati uestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus, si nos naturalem Dominum Regem Hungarie et Croacie cognoscitis, ex tunc iudices extraneos de communitate uestra expellatis, et de Regno nostro nobis fideles pro potestate uobis assumatis, ac ciues nostros Tragurienses non presumatis in aliquo perturbare: si autem aliquam habetis actionem contra ipsos, experiamini coram nobis, iustitia mediante; illos etiam nobis fideles, quos de Regno nostro exclusistis, reducat, et bona ac possessiones restituatis eorundem; preterea quatuor ex uobis meliores, si nobis fideles esse vultis, vsque festum S. Michaelis ad nos transmittatis, vt nos vna cum ipsis de bono statu Regni Croacie ordinemus. Datum Budae in festo S. Laur. Mar. 10. Aug.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio ora detto Traù. pag. 93.